



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Alexander III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

ticos, & eorum complices, editis continentur. Et sicut ad audientiam ipsius nostri prædecessoris peruenit earundem constitutionum super his plerumque impediatur effectus: pro eo scilicet, quod interdum, illi qui prædictos viros debent eligere, electioni huiusmodi non possunt interesse, vel nolunt: Nos ad instar prædecessoris eiusdem, super his sicut conuenit, prouidere volentes; statumus, vt si diocesanus, & fratres Minores, prædictæ electioni, prædictorum virorum noluerint: vel nõ potuerint interesse, per aliquem vestrum, seu illos, quibus id duxeritis committendum, in locis in quibus Inquisitionis officium exercetis, eligere personas, seu viros huiusmodi libere valeatis, vobis & vestrum singulis auctoritate præsentium indulgemus: non obstante iuramento, quod prædicti potestates, & rectores, de obseruandis præsentium constitutionibus, cohibere tenentur, à quo ipsos, quantum ad hos articulos siue casus duximus absoluedos, nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Neapoli ij. Calen. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

ALEXANDER IIII.

*Vt Inquisitores procedant in negotio Inquisitionis, iuxta ordinationes Innocentij quarti.*

Edita anno Do  
mini 1253.

Ex Archiueo  
Inquisit. Bo-  
noniensis.



ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs fratri Raynerio Placentino, & alijs fratribus ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in Lombardia, & Marchia Ianuen. Salutem, & Apostolicam benedictionem,

CVM felicitis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster, contra hæreticos prædicationem crucis vobis duxerit per suas litteras committendam: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in negotio procedatis eodem iuxta litterarum continentiam earundem. Datum Anagninæ v. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno primo.

ALEXANDER IIII.

*Ampliat tria capita constitutionum Innocentij incipien. Ad extirpanda, quæ ob nimiam terminorum breuitatem non poterant commodè absolui.*

Edita anno Do  
mini 1256.  
Ex Archiueo  
Inquisitionis  
Bononiensis.



ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Inquisitoribus hæreticorum, in Lombardia, & Marchia Ianuen. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

EXORTIS in agro fidei Christianæ per partes Italiæ abundantius solito hæreticæ prauitatis zizanijs, seminante illa per temporis impacati malitiam homine inimico: felicitis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster, constitutiones quasdam ad pestis extirpationem prædictæ noscitur edidisse, quas in suis litteris annotatas, mandauit à dilectis filijs potestatibus, seu rectoribus, consilijs, & communitatibus ciuitatum aliorumque locorum, per Lombardiam, Romaniolam, & Marchiam Teruisij constituis, tanquam fidelibus eiusdem fidei defensoribus exacta diligentia obseruari. Porro inter constitutiones huiusmodi, tria contineri noscuntur, à potestatibus, seu rectoribus ciuitatum, & locorum, sub debito iuramento, infra certos terminos obseruanda. Primum videlicet, quod potestas, seu rector infra tertium diem post introitum sui regiminis, duodecim viros probos, & catholicos, duos notarios, & duos seruitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituat, quos ad negotiũ fidei contra hæreticos, eorumque fautores, diocesanus, si præsens fuerit, & interesse voluerit, & duo fratres Prædicatores, & duo Minores ad hoc à suis prioribus, & ministris, si conuentus ibi fuerint eorundem ordinum deputati, duxerint eligendos. Secundum quod idem potestas seu rector, in destructione domorum, condemnationibus faciendis, & in rebus inuentis, vel occupatis consignandis, & diuidendis, infra decem dies postquam accusatio, seu denuntiatio super hæresi, vel hæreticorum fauore facta fuerit, exequatur omnia cum effectu. Tertium vero, quod prædictus potestas siue rector, infra decem dies sui regiminis syndicet præcedentem proximo potestatem, vel rectorem, & eius etiam assessores per tres viros catholicos, & fideles, electos ad hoc per diocesanus, si præsens extiterit, & per fratres Prædicatores, & Minores, de omnibus his, quæ in statutis seu constitutionibus, & legibus contra hæreticos, & eorum complices continentur, & eos puniat de omnibus, & singulis quæ omiserunt, & compellat restituere de propria facultate. Cum igitur, sicut accepimus, supradicta tria, infra præmissos terminos propter ipsorum terminorum nimiam breuitatem, nequeant à potestatibus, vel rectoribus de facili adimpleri; propter quod iidem potestates seu rectores, in animarum suarum periculum petiuri retiaculo sapius inuoluuntur: Nos de vestræ fidei puritate, ac circumspectis industria, plenam in Domino fiduciam obtinentes, prorogandi eisdem potestatibus, & rectoribus terminos supradictos, vsque ad decem dies, prout expedire vel necesse fore videritis ad præmissa efficaciter exercenda, ita quod per prorogationem huiusmodi, nec petiurij reatum, nec notã incurrant, plenam vobis, & singulis vestrum, vbi conuenire ad hoc comodè nequiveritis, concedimus auctoritate præsentium facultatem. Nulli ergo omnino hominũ liceat hæc paginam nostræ con-

**A** concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incutiturum.  
Datum Lateran. 17. Idus Martij, Pontificatus nostri anno secundo,

## ALEXANDER IIII.

*Statuta, quibus officium Inquisitionis, directè vel indirectè impeditur, moderare possunt Episcopi, & Inquisitores, seu rescare; & ut sibi exhibeantur, compellere possunt magistratus civitatum per Ecclesiasticas censuras, appellatione reiecta.*



**ALEXANDER** Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Mutinensi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Edi. 10 Do  
mini 1157.

Ex Archivo  
Inquisitionis  
Bononiensis.

**IMPLACIDA** relatio nuper nostrum turbavit auditum, quòd videlicet, Commun. Mantuan. cum deberent dilectis filiis fratribus Prædicatoribus, Inquisitoribus pravitatis hæreticæ, in illis partibus à Sede Apostolica deputatis circa extirpationem pravitatis huiusmodi de suis finibus, toto posse assistere tanquam fidei zelatores; ipsi

agentes in contrarium, statuta quædam damnabilia ediderunt, per quæ negotium fidei, quod per fratres ipsos salubriter geritur, ut in eo procedi libera nequeat, directè impeditur vel etiam indirectè. Quocirca fraternitati tuæ, per Apostolica scripta, sub excommunicationis pœna firmiter præcipiendo mandamus, quatenus associatis tecum aliquibus discretis, & Deum timentibus viris, statuta huiusmodi quæ à Mantuan. vel quibuslibet alijs hominibus ordinata, & facta dicuntur, Mantuæ ac in toto ipsius districtu, per quæ ipsi negotio possit obstaculum provenire, diligenter inquirere, ac etiam invenire; & quæ sita, & inventa ad tale reducere, ac reduci facere moderamen procures, quòd per ipsa dictorum Inquisitorum processus non impediatur in aliquo, vel quomodolibet retardentur faciens nihilominus quòd statuta quælibet ipsi negotio contraria, & quibus possit impedimentum aliquod Inquisitoribus afferri eisdem, quominus per eos iuxta formam sibi à prædicta sede traditam procedi liberè valeat in eodem, in civitate præfata vel alibi in ipsius districtu nullatenus observentur: potestatem, auctoritatem, & consilium civitatis eiusdem per excommunicationem in personas eorum, & commune prædictum, per interdicti in civitatem ipsam sententias, ad id appellatione postposita, compellendo. Datum Viterbij xv. Calen. Januarij, Pontificatus nostri anno tertio.

## ALEXANDER IIII.

*Declarat quinque articulos dubios, contentos in constitutione Innocentij iij. incipien. Ad extirpanda, iubetq; has declarationes cum præfatis constitutionibus scribi in statutarijs urbium, & servari.*



**ALEXANDER** Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Prædicatoribus, Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, in Lombardia, & Marchia Ianuensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Do  
mini 1157.

**FELICIS** recordationis Innocentius Papa prædecessor noster, dudum constitutiones quasdam edidit, secundum quas rigor debet exerceri canonicus, in extirpandis ex agro fidelium zizanij hæreticæ pravitatis: quarum aliqua videntur ambigua; & super quibus nostræ respiciendæ oraculum implorastis. Ne igitur ipsarum constitutionum obscuritas commissa vobis sollicitudini, perniciosas vineæ Domini piæ persequendi capiendiq; vulpeculas obstaculum obiciat tarditatis: quinque ipsarum constitutionum capitula, quæ vobis dubia videbantur, auctoritate præsentium, de fratrum nostrorum consilio, duximus declaranda. Primum sanè dubitationis vestræ capitulum est quod dicitur: quod decem viri quàm notarij, & servitores eorundem, ad capiendum hæreticos deputati, simul & divisi plenariam præcipiendi, sub pœna & banno, quæ ad officium suum pertinent, habeant potestatem. Potestas vero talis loci, vel rector, teneatur habere firma, & rata omnia præcepta, quæ occasione officij sui fecerint duo ex ipsis officialibus siue plures, & pœnas exigere non servantium, hoc itaque quod de pœna, & banno dictum est, de illis dumtaxat pœnis interpretamur intelligi, quæ consequenter in eisdem constitutionibus sunt expressæ. Possunt autem prædicti officiales, communitati, burgo, & villæ præcipere sub pœna & banno, usque ad ducentas Marchas argenti, & ultra ad arbitrium potestatis loci eiusdem, quod potestati, vel diocæsano, aut eius vicario seu Inquisitoribus hæreticorum, præsentabunt infra præfigendum eis terminum competentem, omnes hæreticos & hæreticas, quos sibi dicti officiales duxerint assignandos, & potestas loci à non servantibus, pœnam huiusmodi exigere teneatur. Secundum vero est, quod domus in qua prohibiti fuerint hæreticorum captores, sine spe reedificandi funditus destruat, & bona quæ ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inveni: Quod quod habet, quod domus in qua repertus fuerit aliquis hæreticus seu hæretica, sine vlla spe reedificandi funditus destruat, nisi dominus domus ibidem procuraverit reperiri; & si dominus domus illius, alias domos habuerit contiguas illi domui,

Ex Directorio  
Sabellano fol.  
734.  
† Ambigere leg-  
gebatur, sed  
ambiguit, vide  
tur legendum.  
† In §. Idem  
quoque pote-  
stas, & sequen.